

Cogitationes Nonnullæ
DE
FATO HOMERICO,

QUAS

Conf. Ampl. Fac. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi,

PRÆSIDE

Mag. GUSTAVO GADOLIN,

LINGG. ORIENT. ET GR. PROF. REG. ET ORD.

PRO GRADU

Publico examini subicit,

NICOLAUS ISRAËL BERGHÆLL,


V. D. M.

In Auditorio Inferiori die 17 Decemb. 1800.

Horis a, m. solitis.

ABOÆ,

In *Officina Frenckellianna,*



VIRO

MAXIME REVERENDO, S. S. THEOLOGICÆ DOCTORI;
PRÆPOSITO ET PASTORI

Parœciæ Tammelenfis huicque annexarum Ecclesiarum

VIGILANTISSIMO,

DOMINO MAGISTRO

MICHAËLI AVELLAN

PATRONO FAVENTISSIMO ET OMNI
VENERATIONE SUSPICIENDO.

*Quod hæc pagellas Nomine Tuo, Vir maxime reve-
rende, Celebri, ornare ausus sim, spero Te haud agro
laturum esse animo: Factum videlicet, ut animi sensa ex-
primerem venerabundi, quo Te semper prosequar ad cœ-
nares usque;*

NOMINIS TUI

Cultor observantissimus

NICOLAUS ISRAËL BERGHÆLL

VIRO

ADMODUM REVERENDO,

Domino

NICOLAO BERGHÆLL,

VICE PASTORI ET SACELLANO

in Tammela,

PARENTI SUO OPTIMO,

Pietatem publice testaturus

D. D. D.

Filius obedientissimus

NICOLAUS ISRAËL BERGHÆLL,



Ut ab altera parte est in vario studiorum litteris & scientiis impendendorum genere utilissimum, notum sibi ac perspectum, quid de rebus divinis canæ vetustatis homines ac Philosophi senserint, habere; ita ab altera negotium est arduum multisque difficultatibus circumseptum, in indagandis & accurate definiendis notionibus, quas de deo diisve foverunt mortales & ætate & vitæ ingenique ac mentis indole & cultura a nobis remotissimi, collocatum. Nam alia, quæ eruendis & describendis antiquorum sensis gravi impedimento esse soleant, ut sileam, ægre animi nostri a consyeta nobis ac familiari cogitandi & contemplandi ratione ad vetustissimam percipiendi & opinandi illam persentiendam transferuntur. Atque impliciores haud raro vel eo redditas quæstiones deprehendere licet, in hominum, quorum res & gesta veterum scriptis traduntur, ingenii infantiam & ipsa quasi generis incunabula non dudum egressorum, opinioniones & judicia institutas, quod grammatici, *ἀνεπίθετα* justo minori usi, feriorum ætatum, utpote quæ ipsis notiores essent, sensus & placita antiquioribus illis, minus scilicet notis, sæpenumero male tribuerint. Quod idem & in Homero interpretando passim factum reperies. Cui igitur Poëtarum epicorum principi ac parenti, an inique etiam sit a multis adscripta de Fato opinio, e Græcorum videlicet Tragicis forsan ad illum translata, ut appareat, nos hisce pagellis symbolam aliquam ad explicandam Homericam Fati notionem conferre conabimur. Molimina vero

ingenii juvenilis ut grata sibi & accepta esse velit B. L.,
qua par est observantia rogamus.

§. I.

Multa in Homero egregia & sublimia de Jove legi,
adeo ut eum e deorum quidem cœtu & potentissimum
esse & summum rerum moderatorem, extra omnem con-
troversiam positum videri debeat, nemo facile negabit.
Nimirum est is *πατήρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε* (a), *ὑπάτος κρείστων*
& *ὁ σθενοῦ ὄντι ἐπιεικτὸν* (b), *τοῦ κρατος ἐστὶ μέγιστον* (c), *ἐν ἀθά-
νατοις θεοῖσι καρτεῖ τε σθενεῖ τε διακρίδων ἀριστος* (d, *ὅστε θεοῖ-
σι καὶ ἀνδραποῖσιν ἀνάσσει* (e), *cujus ὄψας ἐστὶ νοῦν ὅτε παρεξελ-
θεῖν ἄλλον θεόν, ὃν δ' ἀλίωσαι* (f), rel. Idem mortalium om-
nia fausta infausta que bene novit (perpendit ac cuique
sua distribuit) (g); idem ingenii vires cuique hominum
dispertit, earum que usum iis definit (h); idem e duobus do-
liis

(a) Locis per plurimis, ¶

(b) *Il. VIII: 31, 32.*

(c) *Il. II: 117.*

(d) *Il. XV: 107, 108.*

(e) *Il. II: 669.*

(f) *Od. V: 103, 104.* — Cognomina vero Jovi tributa, unde patere videtur summam in ipso fuisse sententiam, nil tamen ipso fuisse superius non probare existimat J. FR. E. DELBRÜCK in commentat. *Homeri religionis que ad bene beatęque vivendum heroicis temporibus fuerit vis pag. 49*, quod scilicet illis similia nocti etiam & somno addita sunt, nempe illi *θεῶν καὶ ἀνδρῶν ὁμοκτεῖσα*. *Il. XIV: 259*, huic *ἀνάκτι πάντων τε θεῶν πάντων τ' ἀνδραποῶν* appellato. Cui quidem argumento maximam non in esse vim, quisque facile intelligit.

(g) *Od. XX: 75, 76.*

(h) Ut canendi v. c. materiam & copiam vatibus, *Od. I: 348.*

liis, suo in palatio repositis, quorum alterum gaudiorum & felicitatis dona, alterum dolores & ærumnas continet, depromens, cui ex utroque promiscue sumtum dederit, is jam gratis & jucundis, jam molestis adversisque rebus fruitur: cui sola dederit mala illa dona, is ignominia injuriisque obnoxius, miseriis & inopia afflictus, & a diis & ab hominibus spretus, per terram vagatur (i); r.l. Quamquam igitur negari minime potest, penes Homerikum Jovem, utpote cujus vires & ceteri dii vehementer reformident, hinc facile vel sola ejus verborum comminatione ab obicibus ipsius consiliis ponendis sapius revocati, summum esse imperium & universi regendi curam, eundem tamen omnipotentem esse vereque divinis, quas dicere solemus, perfectionibus gaudentem, nemo nisi qui in poëta absolute egregia omnia & ferme ultra quæ hominum mens ascendere nequeat, detegere velit, contendere audebit. Insunt videl. Jovi, quem sibi fingit vates, ad divinam licet speciem forsan propius accedentem, quam quem majorum mythis acceptum referebat (k), humana per multa, quæ non modo dei potentiam, sed & animi vires arctis limitibus circumscribunt. Nimirum ut animantia omnia, quæcunque sensibus obveniant, e sedibus quas occupant, in alias migrare solent, ut præsentia & veluti immediato contactu mutationes & vicissitudines efficere possint, ita & deum, nisi qui loco quodam caperetur, quem delerere & cum alio commutare necesse haberet, ut & quæ fierent, diligentius ac veluti oculis observaret,

(i) *Il. XXIV: 527 seqq.*

(k) Indicia haud obscura duplicis theologiæ, popularis scil. i. mythicæ, & verioris alicujus ac emendatioris ipsius poëtae, in Homero inveniri non improbabilius statuit H.W.A. DE MARÉES *Versuch üb. d. Cultur d. Griechen zur Zeit des Homer pag. 106 seqq.*

& ipse rebus quasi manus admo-
veret, mentis, quæ tum
fuit, ratio cogitare non potuit. Unde factum ut & multa,
invito, absente scilicet & rerum ignaro, Jove, vel forte qua-
dam, vel aut diis aliis aut hominibus summi dei decreta
sua vi defraudantibus, evenire putarentur. Acceserunt alia,
ex hominum conditione desumpta, ad describendam deo-
rum rationem translata. Nam ut agre, nisi qui ipsi ab-
soluti unius principis imperio subiecti sunt mortales, dei
omnia pro suo beneplacito moderantis notionem, cœtus
meliora non edocti, concipiunt, ita Homericæ illa ætas,
leges alias quam quæ in administranda sua civili re vale-
rent, in universo gubernandæ vix agnoscentes, deorum a-
licuius veluti senatus, cui Jupiter præsideret, ideam ani-
mo non volvere non potuit. Natæ hinc innumeræ mutæ
immortalium rixæ & contentiones, jurgiaque ad mores
senatorum scilicet vetustæ illius ætatis rudiores minusque cul-
tos efficta; quibus agitatis, interdum vel liberalitate qua-
dam animi, vel prudentia ac calliditate, obtemperantio-
scilicet sibi alias ut haberet deos, ut videtur, motus, cedens
Jupiter, interdum consilii sui tenacior, iis resistens, decer-
nit & voluntatem suam exsequitur. Pariter ut nonnisi
acutius & frequenti ratiocinatione exercitatus ac multipli-
ci experientia locupletius ingenium, viam qua proposita
sua quasi persequatur, accurate & in antecessum veluti
per singulos gradus definire potest, ita Jovi etiam facul-
tas unaquæque prospiciendi, ac ne decreto suo peragen-
do impedimenta forsitan aliunde objicerentur, præcaven-
di, antiquitus vix est tributa. Unde quamvis summam
rei statuere & determinare penes Jovem esset, eidem ta-
men perficiendæ remoræ haud exiguæ interponi potue-
runt. Quibus igitur observatis, an Fatum etiam agnoscat
Homerus, quo Jupiter sit inferior, quæstio oritur diligen-
tius examinanda.

§ II.

Fati, utpote ejus maxima sit in hominum actiones
res-

resque & secundas & adversas, vitæque imprimis exitum, vis & efficacia, mentionem Homerus multoties injicit. Meropis Percolii v. c. filii, patri ne belli discrimen adirent, disvadenti non obtemperarunt; *nam ducebant eos a-træ mortis ungas* (a), a Diomede scil. cadendos. Alius Hyrtacides curru trans fossam in hostium castra vehi voluit, amens! nam futurum non erat, ut *malas ungas effugiens*, Ilium pugna peracta reverteretur: etenim antequam reditum meditari posset, mortis caliginem oculis ejus *obduxit Moira horrendi nominis* (b). Hector ad proelium exiturus uxorem plorantem his verbis consolatur: *nemo hominum me præter fatum* (*ὄπις αἰσῶν*) *in Adæ domum mittet: fatum* (*μοῖρα*) *vero nullus, qui in lucem quidem editus fuit, unquam vir, sive strenuus sive ignavus, effugit* (c). Achilles duplici ad mortem ferebatur fato, altero scil. quod brevi moriendi necessitatem ei imponebat, magnam gloriam consecuto, altero quo ipsi domum reduci, inglorio, diu vivere permitteretur (d). Quin Parcarum etiam & filii fatalis meminit Poëta: Juno v. gr., deos allocuta, descendimus, ait, ex Olympo omnes, ne Achilles mali quid hodie patiat,ur, cauturi; olim vero feret, *quæcunque fatum* (*Αἰσῶν*) *ejus nati, filo adneverit* (e). Et Hecabe: "Hectoris nati, ego videl. cum ipsum parerem, *filo adnevit sævum fatum* (*μοῖρα κερταῖν*), ut is aliquando ab hoste truculento prostratus, canibus satiandis inserviret" (f). Atque Alcinous in nobilium Phæacum cœtu: "hospitio advenam (Ulysem). excipiamus, dein curabimus, ut salvus & incolu-

(a) Il. XI: 332.

(b) Il. XII: 110 sqq.

(c) Il. VI: 487.

(d) Il. I: 352 sqq. 414. sqq. IX: 410 sqq. XVIII: 436 sqq.

(e) Il. XX: 125 sqq.

(f) Il. XXIV: 209 sqq.

mis in patriam redeat, ubi demum ipsi ferenda erunt, quæ-
 cunque ei nato fatum & graves parca (αἶσα κατακλωδες τε
 βαρυστοι), filum deducentes, neverint (g).

Idem vero fatum, quod alias ab Homero immite &
 sæviens fingitur inevitabile tamen & prorsus immutabile non
 esse, ex multis locis, quorum quædam excitare juvabit,
 tatis superque demonstrari potest. Sic Ilio nondum ex-
 pugnato, Græci, Agamemnone reditum simulante, invito
 fato (ὑπερμωροῖ) Trojanam terram deseruissent, nisi eos,
 iter jam parantes, Ulysses detinuisset (b). — Parroclus inse-
 quebatur Troas & Lycios, stultus! nam si monitum Helidæ
 ferasset, profecto effugisset malam atræ mortis κηρὰ (i). —
 Trojanis trepidis, terga vertentibus, Græci vel præter Jo-
 vis αἶσαν, sua ipsorum virtute & viribus, victoriam sibi
 parasent, nisi Æneas suorum animos denuo excitasset (k).
 Vereor, Jupiter ait in Olympiorum concione locutus, ne
 — Achilles, ira occisi amici causa æstuans, si ei soli, deo-
 rum interventu non præpedito, diutius pugnare licebit,
 & ipsam Trojanorum urbem præter fatum (ὑπερμωρον) ca-
 piam diripiamque (l). — Neptunus Æneam stultum appellat,
 ad pugnam cum Achille, mortem ei, licet ut salvus &
 incolumis evaderet, fato constitutum (μοριμον) esset, in-
 dubie tamen illaturo, ineundam paratum, eumque ex im-
 minenti illo periculo surripit (m); & eundem monet, ut
 postea Achilli forte obviam factus, pugnam evitet, ne
 ὑπερμωραν e vita discedere cogatur (n).

His

(g) *Od. VII*: 196, 197.

(b) *Il. II*: 155.

(i) *Il. XVI*: 684 sqq.

(k) *Il. XVII*: 320 sqq.

(l) *Il. XX*: 30.

(m) *Il. XX*: 302 sqq.

(n) *Il. XX*: 335, 336. Cfr. etiam *Od. V*: 436.

His igitur aliisque ejusdem fere argumenti locis inter se comparatis, haud improbabile videtur, fatum, cui subjecti sint Homerici homines, feriam esse rerum, qua alia ab alijs natae sese invicem excepiant & consequantur, non necessitate quadam aeterna & absoluta definitam, sed magna ex parte a liberis etiam mortalium actionibus pendentem. Idem vero illud, veluti quod ipsum agat & eventus & facta moderetur, per *προσωποποιίαν* fingi, non magis mirum erit, quam virtutes & vitia, notionesque alias plurimas abstractas vita & efficientia ornari, quin humana etiam specie indui & sermonis usu instructa in scenam produci. Quae nostra Homerici fati explicatio vel inde forsan confirmabitur, quod hominum sapientiam, prudentiam, virtutem, coeptis succesum plerumque dantes, verum temeritatem ad exitium ducentem, in Poeta deprehendere licet; quod fere secus esset, si cuncta inexorabili fato regi ei visa fuissent. Memorabilia vero imprimis sunt in hac nostra quaestione Jovis verba, quibus deos alloquitur (o): "Quam injuste, inquit, homines nos inculant! a nobis mala proficisci dicentes; qui tamen & ipsi suis temerariis ac maleficanis factis dolores & ærumnas *ὑπερ μορον* (præter fatum s. supra malorum, quibus ipsis esse debuit, veluti modum, quem scilicet augent, in scelera ruentes) contrahunt. Quod idem Ægisthus nuper fecit, ipse sua sponte in se mala colligens (*ὑπερ μορον*), con-
ju-

(o) *Od. I: 31 sqq.* — Non est diffidendum, *μορον* & *ἄισαν* veri etiam, æqui, honesti rationem & modum, unde *κατὰ μορον* & *κατ' αἴσαν*, quod par & fas sit, & *ὑπερ μορον* atque *ὑπερ αἴσαν*, quod non conveniat, passim de-notare. Sed locis supra citatis, ex aliorum similium comparatione illustrandis, Homerus laudatis dictionibus usus, fato assignatam & datam cuius suam gaudiorum & dolorum portionem cogitasse videtur.

jugem Atridæ uxorem ducendo, eumque interimendo, edoctus licet a Mercurio sævam perniciem, inde sibi parandam; sed utut commonefactus, a malo tamen consilio non destitit, cujus igitur perfecti jam poenas luit." Quæ perlegens, quis dubitare poterit Homericos homines magnæ saltem sui fati partis ipsos esse auctores?—Jam utrum dii, & Jupiter imprimis, Fatum constituerint & designarint, an id diversum quoddam a deorum consultis fuerit, videndum.

§. III.

Quod supra de potentia maxima Jovi tributa monuimus, hoc loco quidem non ducimus repetendum. Etenim quamvis illa ita sint, ubi tamen is fato inferior sit putandus, sæpe forte nonnisi hujus decreta executus videbitur. Verum libertate sua in deliberando secum, in consiliis capiendis eaptisque perficiendis Jovem minime destitutum esse, diligentior Homeri lector vix dubitabit. Singula quævis, quæ facta Jovi adscribuntur (sunt vero ea omnia ferme majoris momenti), ei tribuuntur externa vi haud coactò, sed voluntatis suæ s. animi impulsu secuto. Adeoque rerum illa vicissitudo, ex Achillis ira derivanda, quod princeps est totius fere Iliadis argumentum, non fati est, sed Jovis opus; in cujus igitur summi dei infinitarum virium admirationem a trisli tot malorum Græcis inflictorum, totque eximiorum heroum in orcum immisforum cogitatione abreptus poëta, Διὸς δὲ, mox in poëmatis initio monet, ἐτελείετο βουλή, lectorum animos eodem secum venerationis & stuporis sensu imbuturus.

Deinde fatum & deorum cœtu & Jove etiam, cum prima in immortalium concionibus partes agente, tum privatim sæpe imperante, inferius esse & eorum decretis deberi, extra omnem dubitationis aleam plurima ponere videntur loca, in quibus μοῖρα & αἴσα, quo nomine venire felicitatis & malorum veluti portiones mortalium cuique

assignata, & κηρ, hominibus destinata infausta mors; diis aut Jovi expresse tribuuntur. Sic Helena v. gr., mihi & Alexandro, ait, imposuit Jupiter subeundum κακον μορον, adeo ut & posteris simus canendi materies (a). Achilles, Jovis αἰση (de rebus meis vel nostris decreto), inquit, me honorari puto, quæ me, donec vivam, ad naves detinebit (b); idemque, κηρα, ait, ego lubens accipiam, ubi eam mihi ferendam injunxerint Jupiter aliique dii: neque enim Hercules quidem, Jovi adamatus, κηρα effugit, sed & eum Μοιρα (fatale deorum decretum) & Junonis ira subegere (c). Telemachus domum rediturum dubitat Ulyssem, cui mortem & atram κηρα immortales jam decrevisse & moliti esse ipsi videntur (d). Et Ulyses sibi suisque sociis, infelici fato (ex consulto deorum) destinatis (ἀνωμοροισιν), adstitisse malam Jovis αἰσαν, & dolores multos inflixisse fatetur (e). Clytæmnestra deorum decreto quasi constricta Ægισθο se tradidit subigendam (f). Singulis hominibus, quotquot terra alit, suam rei cujusque partem (μοιραν) immortales dederunt (g), rel.

Tum quæ Θεοφατα poeta dicuntur (b), ea eorum decretis potius, quam fato cuidam ab his diverso, esse subiecta, vocabuli etymon argumento est haud omnino veri dissimili. Atque ut imagine staminis, quod Parca ducant cuique adjungant hominis in lucem editi futuras res adversas & secundas, mortalium & ætas & fortunæ vicissitudines a poetis designari solebant, hinc ubi dii hominum

B

na-

(a) Il. VI: 357, 358.

(b) Il. IX: 609, 610.

(c) Il. XVIII: 115 sqq.

(d) Od. III: 241, 242.

(e) Od. IX: 52, 53.

(f) Μοιρα θεων ἐπεδησε μιν δαμνηαι, Od. III: 269.

(g) Od. XIX: 592, 593.

(h) v. c. Il. VIII: 477.

natorum (vel conjugalem etiam statum intrantium) felicitatem vel infelicitatem præfidentes, eandem ipsis ἐπιλωσσαι leguntur, ex eo quidem laudari vocabuli usu conjectura non proflus improbabili effici forsan poterit, Parcæ netrices, adeoque ipsum fatum, deorum, maxime Jovis, subeste imperio (i).

Verum maximi ad Jovis in fatum imperium demonstrandum momenti esse videtur locus *Il. XIV: 433 sqq.*, in quo is dubitans fingitur an Sarpedonâ, filium suum, *fato morti a Patroclo inferende destinatum* (μοῖρα δαμνηταί), e pugna cum Menœtiade inito vivum subducatur, vel conficî sinat: Juno non negat Jovem, utrum velit, efficere posse, sed dissvadet servandum eum, qui *ex fato dudum definito sit moriturus* (παλαι πεπερωμενον αἰση), & cavendum esse monet, ne alii dii, moti Sarpedonis e morte erepti exemplo, suos etiam velint filios contra fatum salvos & incolumes præstari. — Afferri etiam haud sane male solent ad comprobendam summam fati in Jove positam auctoritatem, parallela loca *Il. VIII: 69 seqq.* & *XXII: 209 sqq.*, in quorum illo Jupiter, utrum Græcis an Trojanis, proelio decertantibus, victoriam traditurus sit, exploraturus, utriusque gentis *fatum*, alterum scilicet alteri libræ lanci imponit, quo facto cum Græcorum illud pondere seu gravitate superare mala adversariis ipsorum infligenda cognoscat, illis cladem, his victoriam statuit: in hoc, quæstione eodem proflus modo habita, Hectoris necem decernit. Utrobique libere agit, cæco, æterno, immutabili fato non subditus, sed rationum momenta, quæ ad opem huic vel illi parti ferendam eum excitare possint, diligenter considerans, eorumque iis, quibus, comparatione peracta, majorem vim

(i) Vid. *Il. XXIV: 525*, *Od. III: 208*, *IV: 207, 208*, *VIII: 579*, *XI: 138*, *XX: 196*, al.

vires inesse deprehendit, sese minime invicem veluti sub-
ficiens (k).

§. IV

In hanc igitur fere summ. in Homericam de fato do-
ctrinam s. opinionem redigendam existimes, ut cum rerum
eventus alii sint hominibus grati & jucundi, alii molesti
& graves, quin funesti etiam, eorum quidem omnium,
communi *fati* nomine appellatorum, origo e deorum
vel consultis vel singularibus etiam haud raro decretis re-
petenda putaretur, salva videl. Jovis maxima auctoritate,
quæ tamen præpotentibus ejus viribus magis quam jure
quodam videtur firmata. Hinc *μοῖραν, αἶσαν, πεπρωμενον,*
rel., pro deorum consultis plerumque poni, manifestum
est, & parcas ipsas, non savas, inexorabiles, suo tantum-
modo alicui arbitrio obtemperantes deas, sed Jovis deo-
rumque esse quasi famulas, & in eorum voluntate defi-
nienda occupatas, veri est simile. Unde quum olympici
veluti senatus sententiam sua vi destitui non posse fas e-
rat credere, *μοῖραν* s. *αἶσαν* etiam, utpote quæ mutationis
non sit obnoxia (a), passim commemorari, mirum non
est. Hominum vero actionibus ut ipsorum res prosperas
& infaustas sapius superstrui, vel mediocri ingenii acumini,
vulgari experientia suffulto, observare licuit, ita fatum
mor.

(k) Sortem, more hominum, quid re in discrimen adducta sibi
laciendum sit, dubitantium, non consulit Jupiter, ut DEL-
BRÜCKIO l. c. pag. 54 placet, agminum & heroum vices fa-
talibus lancibus pensitans; sed sollester & ἀκρίβως, agen-
dorum rationes, veluti lancibus impositas, perpendit.

(a) Differri tamen in longius tempus & retardari singulari
quodam divino interventu *τα θεοφάρα* posse, supra mo-
nuimus, cujus rei exemplum vide *Od IX: 528 sqq.* A-
lias dii abarcere non potuerunt, ne viro quidem sibi a-
matissimo, mortem *μοῖρα* s. deorum consulto destinatum
ut v. gr. *Od. III: 236-238.*

mortalibus constitutum, ipsis etiam eorum vel virtutibus vel sceleribus, quibus scilicet accommodata essent deorum decreta, læpissime deberi, facili conjectura assequi potuit cæna vetustas. Quare conjunctim hic illic in Homero θεῶν μοῖρας & hominum vitæ mentio injicitur, ubi horum fortis rationes sunt indicandæ, ut v. gr. *Od. XX: 413, 416 (b)*.

Quæ igitur præcipua & potissima esse videntur Homericæ fati notionis capita. Verum ut opiniones, veris philosophicis rationibus non suffultæ, vix sibi semper constantes sunt & in omnibus eadem, ita ad unam eandemque veluti normam forsitan non facillimo omnino negotio exigi & accurate describi poterunt, quæcumque in Homero de fato legantur (c). Quibus in explicationem laudatæ notionis a nobis propositam forte oriundis dubiis, solvendis operam & laborem impendere jam non vacat (d).

(b) Unde ubi homines mala ὑπερ μοῖραν contraxisse leguntur, ea vel omnem modum superantia, vel quæ ipsis futura non fuissent, nisi temerarie & imprudenter egissent, sibi inflixisse putari debent.

(c) Sic v. gr. Neptunus Jovem, qui jacta inter Saturni filios forte in cælum potestatem nactus esset, secum ἰσομορον καὶ ὅμη πεπρωμενον αἰση dicit *Il. XV: 209*; nescio an factum diis antiquius agnoscens, cui igitur hi imperium nondum nacti, non potuerunt non subjecti esse. Rudius enim hominum ingenium, in indagandis primis rerum causis ultra ipsam originem & natales deorum ascendens, demum in statuenda quadam omnia ante deos regnante necessitate subsistere coactum videtur.

(d) Apprime digna est, quæ in quæstione de fato Homericò consulatur Cel. J. C. F. MANSO disputatio *de parcis* in ejusd. *Versuche über einige Gegenstände aus d. Mythologie d. Griechen u. Römer* pagg. 493 sqq, cujus lectione nos multum profecisse ingenue fatemur.